

Ad hoc quæramus an iure, quasi reuera despectatores diuinarum sententiarum, Nónne quique domini & disciplinæ tenacissimi seruis suis foras nubere interdicitur. scilicet ne in lasciuiam excedant, officia deserant, dominica extraneis promant. Nónne insuper censuerunt seruituti uindicandos, qui cum alienos seruos post dominorum denunciationem in consuetudinem perseuerauerunt. Seueriores habebuntur terrenæ disciplinæ cœlestibus præscriptis: ut gentiles quidem extraneis iuncti, libertatem suam amittant: nostræ uero diaboli seruos sibi coniungant & in statu suo perseuerent. scilicet negabunt sibi à domino per Apostolum eiusdem denunciatum. Quam huius amentia causam detineam, nisi fidei imbecillitatem pronam semper in concupiscentiam secularium gaudiorum? Quod quidem plurimum in lautioribus deprehensum est. nam quanto diues aliqua est commatrona nomine inflata, tanto capacem domum oneribus suis requirit, campum in quo ambitio decurrat. sordent talibus ecclesiæ. difficile in domo dei diues, ac si quis est, difficile cœlebs. Quid ergo faciât? unde nisi à diabolo maritum petant? donum exhibendæ sellæ, & mulabus cinerarijs peregrinæ proceritatis? Christianus ista etiam diues fortasse non præstet. Quæso te gentilium exempla proponas tibi. pleræq; & genere nobiles & re beatæ, pessimis de ignobilibus & mediocribus simul coniunguntur, aut ad luxuriam inuentos, aut ad licentiam expectatos. Nonnullæ se libertis & seruis suis conferunt, omnium hominum existimatione despectandū, modo habeatur à quibus nullum impedimentum libertatis suæ timeant. Christianam fidelem fideliter rerum minori nubere piget, locupletiores fugam in uiro paupere. Nam si pauperum sunt regna cœlorum, quia diuitum non sunt, plus diues in paupere inueniet maiore dote. Sit illa ex æquo in terris, quæ in cœlis forsitan nõ erit. Dubitandum & inquirendum & identidem deliberandum est, an ideo sit inuectis dotalibus cui deus censum suum credidit? Vnde sufficiam ad enarrandam felicitatem eius matrimoniij quod ecclesia conciliat, & confirmat oblatio, & obsignatum angeli renunciant, pater rato habet? Nam nec in terris filij sine consensu patrum rite & iure nubent. Quale iugum fidelium tuorum unius spei, unius uoti, unius disciplinæ, eiusdem seruitutis? ambo fratres, ambo conserui, nulla spiritus carnisue discretio. Atquin uere duo in carne una, ubi caro una, unus & spiritus. Simul orant, simul uolutantur, & simul ieiunia transigunt, alterutro ducentes, alterutro hortantes, in ecclesia dei pariter, in connubio dei pariter, in angustijs, in refrigerijs, neuter alterum cœlat, neuter alterum uitat. neuter alteri grauis est. libere æger uisitat, indigens sustentatur. Eleemosynæ sine tormento, sacrificia sine scrupulo, Cottidiana diligentia sine impedimento. Non furtiua signatio, non trepida gratulatio, non muta benedictio, sonant inter duos psalmi & hymni, & mutuo prouocant quis melius deo suo canet. Talia CHRISTVS uidens & audiens gaudet. his pacem suam mittit. ubi duo ibi & ipse. ubi & ipse, ibi

Fort. Adhuc.

Fort. alieno seruo.

Alias et matrona.

Fort. onerarijs.

Fort. inuentis &amp; mox, expectatis.

Fort. futurã in uiro

Fort. inuectis pro carente.

Matrimoniũ inter Christianos.

Oblatio fiebat in confirmationem matrimoniij.

Visitatio egrotantis.

Sustentatio indigentis.

Eleemosynæ.

Sacrificia.

Cottidianã diligentia.

Signatio.

Gratulatio.

Benedictio.

S 2 &amp; malus